Nucerini Seb: Monitum sacerdotale in Synodo Dioecesana Cracoviensi 1641 die 18 Octob. Clero congregato datum.

# MONITVM SACERDOTALE;

IN SYNODO DIOECESANA Cracouiensi, 1634. die 18. Octob. Clero congregato.

*A*

*R. SEBASTIANO NVCERINO S. Theologiæ Doctore,*

Datum.



CRACOVIÆ,
*In Officina Francisci Cæsarij, Anno Domini M. DC. XXXIV.*

*Ad Illustriß: & Reuerendiß: Dominum,*

# D. IOANNEM WĘZYK

## ARCHIEPISCOPVM GNESNENSEM, Legatum natum, Regni Primatem, ac primum PRINCIPEM.

VOLuntate eorum, quorum dicto audiens esse debeo, monitum hoc Sacerdotale, prodit in lucem, & prælo fit iuris publici. Quia autem ex vsu est, vt verba sacra facturus gregi alicuius Antistis, eum prius adeat, vt sibi dicendi potestatem faciat: idcircò & ego, Monitum hoc vniuerso regni Clero daturus, ad Te Illustrissime & Reuerendissime Domine, tanquam Regni Primatem Antistitem venio, reuerenter petendo, vt mihi benedicas. Faxit Deus, vt Tuæ Illustrissimæ & Reuerendissimæ Celsitud: benedictione, Monitum, monile Sacerdotum efficiatur: erit verò etiam, meæ erga Illustriß: & Reuerendiß: Celsitud: Tuam, veteris & debitæ obseruantiæ (si maius non prompsero) publicum argumentum.



*Illustriß: & Reuerendiß: Celsitud: Tuæ*

Cliens & Sacerdos

SEBASTIANVS NVCERINVS.

# EXHORTATIO
## IN SYNODO CRACOVIÆ HABITA.

DVÆ potiſsimùm ſunt cauſæ, ob quas, homines congregari, & cætum facere, conſueuerunt: altera, quando læticia, prȩſertim publica, ad iucundum ſui vſum, velut odor gratiſsimus, attrahit: altera, quando è contra, caſus aliquis lugubris, ad obuiandum malo communi, multos tùm conſilio, tùm ope profuturos, aut ſaltem ſpectatores, aduocat. Quænam ex his duabus, præſentis Sacerdotum cætus, cauſa ſit: intereſt plurimum, vt ſciatur. Vnde autem cognoſcetur? Non eſt longè petenda probatio. Scimus enim, Comitiorum proximè præteritorum conſilio, duplex onus Sacerdotibus eſſe impoſitum: exactionis quintuplicis ratione decimarum pendendæ ſolutio: & præterea Donatiuum ſeu Contributio. Nemo vtrumq; non poterit mirari. Nam cum ex vſu ſit, vt paſtoribus oues, lac & lanam ſuppeditent: nunc è contra, vt paſtores tondeantur, & lanam ouibus ſubminiſtrent, expectatur. Tributa, iuxta morem receptum, ab inferioribus ſubditis, Superiores, iure ſuo exigunt: nunc è contra, à ſuperiori ſtatu Eccleſiaſtico, inferior ſæcularis contributionem flagitat. Quid ſibi vult hæc boni ordinis mutatio? Sed leuius adhuc vtrumq; tolerari potuiſſet, ſi animo beneuolo, hæc à nobis quærerentur:

ſed quia, vt experti ſumus, odio quodam inueterato, ſtatus Sacerdotalis à ſæculari prægrauatur: hic ille eſt dolor, qui maximè premit. Hic ille eſt fons cænoſus, ſtudio diligenti purgandus, ne ex eo aqua turbida, toties nobis ſit bibenda: odium inueteratum radicitus euellendum. Vt id tandem aliquando feliciter aggrediamur: propoſui in Venerabili iſto Sacerdotum cætu, hoc dicendi argumentum ſumere, vt oſtendam: Qua ratione Sacerdotes, ſtatui ſuo Eccleſiaſtico, authoritatem & reuerentiam apud ſæculares parare, & maleuolentiam illorum vincere poſsint ac debeant. Faxit Deus, vt ad tantam argumenti huius grauitatem, oſtenſionem ſpiritus ac virtutis poſsim afferre.

Infame eſt ſpectaculum, Deo & Angelis eius execrabile, videre ſtatum Sacerdotalem contemni. Eiuſmodi enim contemptus, partim eſt proles conſcientiarum, multis iam ſceleribus inquinatarum: partim mater multorum malorum, quæ ex eo naſcuntur. Naſcitur enim fidei Catholicæ & legis diuinæ neglectus: dùm vtriuſq; interpres Sacerdos negligitur. Naſcitur virtutis ac vitæ ſanctioris vilipenſio: dùm magiſter eius Sacerdos vilipenditur. Naſcitur, Altarium, Templorum, Sacroſancti Sacrificij, Sacramentorum irreuerentia: dùm horum omnium miniſtro Sacerdoti, debitus honor non redditur. Euigilandum itaq; eſt animis, vt audiamus, qua ratione authoritatem recuperare, & maleuolentiã ſæcularium vincere, valeamus.

Sumo tanti mali remedium, ab ipſo Prothomedico, primo Chriſti vicario, D. Petro; qui cum in ipſis primitiuæ Eccleſiæ initijs, ingens odium contra Chriſtianos

con-

conflatum vidiſſet: tale pharmacum illi adhibuit & reliquit. *Chariſſimi* (inquit in ſua Epiſtola) *obſecro abſtinere vos à carnalibus deſideriјs, conuerſationem veſtram, inter gentes bonam habentes, vt in eo quod detrectant de vobis tanquam malefactoribus, ex bonis operibus vos conſiderantes, glorificent Deum.* Ecce irreuerentiæ antidotum, bona conuerſatio, vita exemplaris, ex bonis operibus, velut polymita veſtis contexta. Ecce remedium maleuolentiæ, tantò vtilius ac efficacius, quantò magis eſt ex verbis Chriſti deriuatum. Audite enim, quomodo Chriſti verbis, verba D. Petri conſonent. Euangeliſta S. Mattheus refert: Chriſtum ſic aliquando ſuos Apoſtolos allocutum eſſe: *Ecce ego mitto vos, ſicut oues in medio luporum.* Vehementer hæc verba D. Gregorius M. admiratur, & cum eo admirari quiſq; poteſt ac dicere: Quid ſibi vult benigniſsime IESV, quòd oues tuas Apoſtolos, in medium luporum mittis? Quis vnquam boni paſtoris officio functus, imbellem gregem, beſtijs rapacibus, ſciens volens obiecit? Nonne ipſemet docuiſti, bonum paſtorem potiùs debere pro ouibus animam ponere, quàm eas rapiendas, diſpergendas, lupis relinquere? Creſcit admiratio, quia dixiſti: Mitto in medium luporum. E medio hoſtium circumquaq; cingentium, quam difficilis ſpes euadendi, ne dicam impoſſibilis? Quid ſibi ergo vult conſilium à te profectum, à te inquam, in quo ſunt theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei abſconditi? Reſpondet, ipſemet S. Gregorius. Si Chriſtus verba feciſſet de ouibus, quæ ſunt pecora campi, & animalia vſu rationis carentia, non abfuiſſet à probro, tales

oues mittere in medium luporum. At quia locutus est, tàm de ouibus quàm lupis spiritualibus: ad vincendam rabiem talium luporum, nihil efficacius, modestia, mansuetudine, innocentia ouibus ingenita. Hæc truculentiam mitigat, componit, sedat. Quod totum inde proficiscitur, quia probitas vitæ authoritatem parit & reuerentiam, ac maleuolentiam in beneficentiam commutat.

Testem huius adduco Sacram Scripturam. Liber Machabeorum sic docet. *Cum Ciuitas sancta habitaretur in omni pace: leges etiam adhuc optimè custodirentur, propter Oniæ Pontificis pietatem fiebat, vt Reges & Principes, locum summo honore dignum ducerent, & Templum maximis muneribus illustrarent: ita vt Seleucus Rex Asiæ, de redditibus suis, sumptus omnes staret ad ministerium Sacrificiorum pertinentes.* O sæculis omnibus memoranda, pietas Oniæ Pontificis, quanta bona peperisti? Tu fecisti vt locum Hierosolymitanum Reges & Principes, summo honore dignum ducerent. Tu fecisti, vt Templum, maximis muneribus illustrarent. Sed minora sunt ista: sequuntur maiora, & magis miranda. Seleucus Rex Asiæ, homo paganus, legis Diuinæ planè ignarus, de redditibus suis, sumptus præstabat ad Sacrificia lege Moysis præscripta. Quæ societas luci ad tenebras? Quid Regem Ethnicum, religione dissimilem, ritibus Iudæorum spontè vectigalem fecit? Pietas Oniæ Pontificis, inquit scriptura. *Viuat, atque etiam viuat, vitæ probitas, quæ ex lupis oues, ex lapidibus facit filios Abrahæ.* Nemo autem existimet, vnius Oniæ Pontificis pietatem, talis efficaciæ extitisse: multi probitate

vitæ

vitæ illi affines, & proindè pares effectu, possunt ostendi. Præclarus Annalium scriptor Baronius refert, Summum Romæ Pontificem Hormisdam, tanto virtutum splendore fulsisse, vt earum exemplis, Theodoricum Regem tùnc Italiæ, hominem hæreticum, eumq; Arianum, fidei Catholicæ infensum, eò pertraxerit, vt munera argentea, Templo D. Petri Vaticano (quod Romanorum Pontificum sedes est) dono miserit. Inspectis sanè hisce testimonijs, quisq; poterit intelligere illud quod idem liber Machabeorum dixit: *Non gentem propter locum, sed locum propter gentem Deus elegit.*

Sed vereor ne quis dicat. Probasti, quia ob pietatem eorum qui præsunt, locis sacris reuerentia est exhibita: nunquid pari facultate & felicitate personis Ecclesiasticis exhibebitur? Leuissima est ista dubitatio. Tota enim Philosophorum schola eam refellit, & dicit: Propter quod quid tale, & ipsum magis est tale. Ab igne res calescunt, ergo ignis ipse calidior. Melle panis illitus fit dulcis: ergo mel ipsum est dulcius. Sol inferiori toti mundo lumen impertitur: ergo ipse lumine magis abundat. Eodem modo nos argumentabimur. Ob pietatem Sacerdotum, locis sacris reuerentia exhibetur, ergo magis ipsis Sacerdotibus exhibebitur. Firma est hæc, & satis clara probatio. Sed volo ego quæstionem facti, factorum testimonijs esse decisam. Clodoueus Rex Franciæ, adhuc tunc paganus, à religione Christiana seiunctus, S. Genofenam, ob solam vitæ sanctimoniam, quanta veneratione prosecutus est? Dicerem, nisi temporis articulo constringerer. Idem Rex ob

ean-

eandem causam, qua animi deuotione S. Remigium, velut Patrem coluit? Eudocia Imperatrix, fœmina gentilis, S. Simeonem Stylitam, quanta submissione venerata est? Basiliscus Imperator, re & nomine, verus basiliscus, homo ferus & lupus, quam se mitem & ouem S. Danieli Stylito sistebat? Sed mitto istos minus notos: prodeat in lucem Herodes Rex Iudeæ, scelere nobilis, qui sacrilegas manus S. Iohanni Baptistæ, lucernæ ardenti & lucenti extinguendæ, inieoerat. Is quando sanctimoniam D. Baptistæ viuentis intuebatur, quid faciebat? Inquit S. Marcus Euangelista: *Herodes metuebat Ioannem, & custodiebat eum, & audito eo multa faciebat.* Vnde hominem impium talis religio incesserat? Respondet S. Marcus: quia sciebat eum virum esse sanctum & iustum. Sanctum Deo, iustum hominibus. O quanta vis sanctimoniæ & vitæ exemplaris. Scitis ne vnde? quia habet virtus quoddam diuinitus sibi inditum supra scelera dominium, ita vt aspectu ipso terreat omnem timidam iniquitatem, semper sibi malè consciam: terret impios, feras licet indomitas. De feris siluestribus inquit Dauid in Psalmo: *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Ortus est Sol, & in cubilibus suis collocabuntur.* Soli est simillima virtus, quæ suo splendore oculos flagitiosorum perstringit, & eos ad cubilia sua, vt latitent, propellit. Sed si lux pietatis in Sacerdotibus qui sunt lux mundi, defecerit: si nox facta fuerit: in ipsa pertransibunt omnes bestiæ siluæ. Veniet hora earum, & potestas tenebrarum.

Cum ergo tanta vis sit probitatis, contra omnem impro-

probitatem, iure D. Paulus eos, quorum authoritatem honoratam esse cupiebat, diligenter monebat, vt exemplo vitæ inculpatæ prælucerent. Hinc illa ad Timotheum Antitistem verba: *Nemo adolescentiam tuam contemnat: exemplum esto fidelium, in doctrina, in conuersatione.* Quæso aduertite Diuum Paulum instar prudentis medici fecisse: prius morbum inspexit & indigetauit: deinde medicinam præseruantem, quæ optima est prompsit. Prius meminit contemptus, dicens: *Nemo adolescentiam tuã contemnat.* Deinde antidotum eius protulit addens: *Esto exemplum fidelium.* Eodem amuleto & alterum Sacerdotem Magnum Titum instruxit dicens: *In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in verbo, in integritate, in grauitate.* Poterat dicere Titus: Quorsum hoc monitum, ô Paule Doctor gentium? Respondet: *Vt is qui ex aduerso est vereatur, nihil malum habens de vobis dicere.* O quàm salubre consilium. Etenim quando quis habet, quod Sacerdoti per probrum obijciat, armatus est, telum habet quo vitam eius fodiat, feriendi locum facilè inueniet. Qui autem nihil mali habet quod dicat: inermis est, telum non habet, audax esse non potest, quantũuis audaciam præ se ferat. Si ergo ô Sacerdotes vultis, vt is qui ex aduerso vobis est vereatur, & vos non contemnat: in omnibus præbete vosmet exemplum bonorum operum. Hoc est primum & maximum ad authoritatem & reuerentiam recuperandam monitum: hoc ad vincendam sæcularium maleuolentiam optimum consilium.

Venio ad alterum, quod paucis verbis expediam. Vni-

uerſo Clero, ore D. Pauli dico: *Miniſterium tuum imple.* Quare? quia facilius homines ad virtutem alliciuntur, ſi dotem habuerit: ſi indotata fuerit, pauci erunt qui eam expetant. Quæ autem eſt dos virtutis? Eſſe vtilem alteri miniſterio officij ſui, hoc eſt, quod dicit Pſalmiſta magnus: *Sacerdotes tui induantur iuſtitiam, & ſancti exultent.* Quare iuſtitiam præcipuè nominat? quia hæc iubet reddere cuiq; quod ſuum eſt, iubet miniſterium alteri debitum implere. Agam hic ſimpliciter & breuiter. Poteſtne quis rem vſui ſuo commodam contemnere? Poteſt quidem, praua aliquis opinione imbutus, rem vtilem, inutilem eſſe ſibi credere, ac proinde eam leuipendere: ſed qui veritatem & vtilitatem eius incorrupto iudicio diſcernit, nunquid eam poterit negligere? Calceum bonum, veſtem, ſuppelectilem nemo abijcit: quia hæc omnia vſus chara facit. Vtinam, ô Sacerdotes, vſus & miniſterium vitæ Chriſtianæ nos ſæcularibus charos reddat. Ipſum Sacramentum Ordinis id à nobis iure ſuo exigit. An neſcitis Sacramenta eſſe duplicia: alia quæ ad propriam ſumentis illa ſanctificationem ſpectant, & talia ſunt quinque: alia quæ ad vtilitatem aliorum, procurandam & promouendam ſunt inſtituta, vt Matrimonium ad honeſtam prolis educationē. & Ordo ſacer ad magiſterium vitæ Chriſtianæ ſæcularibus impendendum. Ipſum ergo Sacramentum Ordinis clamat & monet: *Sis, ô Sacedos aliis vtilis, miniſterium tuum implendo.* Scitè ſatis Origenes: *Sacerdos,* inquit, *eſt inſtar vitis, quæ ſi fructu onuſta fuerit, honorabilior eſt cæteris: ſi fructu caruerit, contemptibilior eſt cæteris.* Sal enim infatue-

tuetum, ad nihilum valet vltra, niſi vt mittatur foras & cõculcetur ab hominibus. Hæc ille verè. Sed verè ac ſimul horribiliter ipſemet Deus per Prophetam Ezechielem: *Fili*, inquit, *hominis, quid fiet de ligno vitis? inter omnia ligna nemorum? Nunquod tolletur de ea lignum, vt fiat opus, aut fabricabitur paxillus, vt ex eo dependeat quodcunq; vas? Ecce datum eſt igni in eſcam*, cui igni? infernali, doloribus omnibus refertiſsimo, æterno. O terribile inutilis ligni iudiciũ. Stat enim firma, lata ſententia: *Inutilem ſeruum eijcite in tenebras exteriores: ibi erit fletus & ſtridor dentium.* Intellexiſtis hæc omnia?

Finem ergo dicendi faciam, & memoriæ veſtræ hæc duo imprimam: Præbete voſmet exempla bonorum operum, miniſterium veſtrum implete. Morem quis huic dicto geret: audiet & vtinam audiat, illud Chriſti plenum ſolatij verbum: *Euge ſerue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Benedictus Dominus Deus Iſraël, à ſæculo vſque in ſæculum, fiat, fiat.

[illegible]